34 1 L 70 16
7

ORATIO

IOANNIS RONDINELLII

Habita in Exequiis KAROLI *Noni Valeſii Chriſtianiſſimi Gallorum Regis.*

In æde Diui Laurentii, Tertio Nonas Iulii

CIↃ IↃ LXXIIII.

Cvm Licentia, Et Privilegio.



FLORENTIAE,
Excudebat Georgius Mareſcottus.
CIↃ IↃ LXXIIII.

FERDINANDO MEDICI
S.R.E. CARDINALI

Ioannes Rondinellius. S. P. D.

NON *ſum neſcius* FERDINANDE, *ſumme antiſtes, nihil moleſtius, nihil odioſius eſſe probis viris, quàm audire interitus acerbos iuſtorum, & fortium Principũ: atque hoc, quia beata populorum vita eſt regnantibus illis, ac ſtudio ſuo communi ſaluti conſulentibus. Verum præterea me non fallit nihil magis gratum, & acceptũ eſſe poſſe hominibus, qui propter egregias ſuas animi dotes peruenerũt ad excelſos gradus honoris, quam auribus accipere, ac prope luminibus cernere honeſta facta regum, cum quibus ipſi ſanguine coniuncti ſint: illisq; in primis, qui multa ſua probitate, ac pietate erga Deum mouerunt in animis mortalium magnam ſui admirationem. Quòd certè amplitudini tuæ contigit, eximiæq; dignitati. Quare ego orationem hanc meam tibi mitto, & honeſtiſſimo tuo nomini conſecro: in qua facile poteris, dum alienas laudes legis, honeſtas tuas cogitationes agnoſcere, & quaſi oculis intueri. Hoc tantum mihi doloris non parum inurit, tam præſtãtem opulentiſſimi Regis virtutem, non eſſe nactam æqualem ſuis meritis laudatorem: parumq; in hoc quoq;, vt in vitæ longitudine, fortunatam fuiſſe, qua profecto hic optimus adoleſcens præter ceteros dignus erat. Vale, ac me toto animo amplitudini tuæ deditum eſſe exploratum habeto.*

Florentiæ. pridie. id. Quinct. CIↃ IↃ LXXIIII.

MAXIMO ex omnibus humanis rebus Dux Magne, ciueſq; præſtantiſſimi mortuorum monimenta ſemper fuerunt in honore, clariſſimiſq; & ſummis funerum pompis celebrata ſunt; Omnes enim homines rem neceſſariam ſunt arbitrati, vt eos, qui ſuum diem obiiſſent, quiq; virtute, atque animi magnitudine res magnas, atque arduas glorioſè perfeciſſent, ſummis laudibus efferendos iudicarent. Atque equidem, verè dicam, nulla eſt melior conſuetudo, nulla præſtantior; quæ illa præcipuè de cauſa videtur eſſe inſtituta, ne minus optimorm virorum, qui mortui eſſent, memoriam iuuaret, quàm viuorum animos ad virtutem maiorum ſuorum exprimendam inflammaret. Sed quamquam hoc munus non minus pium ſit, & neceſſarium, quàm honorificum, & vtile, nequaquam tamē efficit; quin maximam dicenti afferat difficultatem, cùm eum, qui magno ingenio præditus eſt, minimè lateat, quàm ſit arduum, & graue, vt hominis virtutem artificio dicendi proſequatur. Quòd ſi eadem ſummis, clariſſimiſq; in perſonis collocata eſt, præcipuo quodam modo id fieri videmus; quemadmodum mihi ſentio vſu venire, cui Sereniſſ. Franciſci Magni Etruriæ Ducis mādato hoc onus ſubeundum eſt, vt morte acerbiſſima KAROLI Noni Chriſtianiſſimi Gallorum Regis nuntiata vobis audientibus de illius vitæ laudibus verba faciam, vt ſanctiſſimum hoc inſtitutum conſeruetur, atque aliquid etiā iuſtiſſimo dolori tribuatur. Verum tamē ei, qui audiens aliorum dicto eſſe debet, ſatis eſt, nullis verbis interpoſitis, & ſine recuſatione, vt, quod imperatur ſua induſtria repræſentet, ſumma mea voluntate hanc ipſā auctoritatē non defugi. Dicendum eſt primò de genere ſum

mi

mi regis nobiliſſimo, atque optimo, nõ ea de cauſa præcipuè, quod omnibus ſuo ſplendore clariſſimum non ſit, verùm vt appareat, cùm pulcherrima à ſuis maioribus, qui eũdem dignitatis gradum tenuerunt, exempla fuerint relicta, ipſum nequaquam eorum vllis in rebus diſſimilem fuiſſe. Verùm antea quam aliquid de hoc ipſo explicem dicendo, nequaquã gentis nobilitas videtur omittenda, quã omnibus ſeculis ſummorum auctorum monimenta celebrarunt. Fuit enim multitudine populorum copioſa; vſu virtutis bellicæ illuſtris, inuicta armis, magnis imperiis abũdans, ſingularibus ingeniis felix; quæq; viribus confiſa cùm ſe anguſtos gloriæ fines ſuis ſedibus habere arbitraretur; externis etiam in locis, atque longinquis dominata eſt. Seſe omni tempore ſalutaribus inſtitutis rexit, optimis legibus, & maximo iudicio ſuas ciuitatès gubernàuit, ſed plurimum tamẽ apud illam res diuinæ, & Dei Opt. Max. ſacrificia viguerunt. Ex hac reges fortiſſimi, & ſummæ pietatis prodierunt; quorum fuit admirabilis Clodoueus, qui primus Chriſtianam religionem ſuſcepit, &, cùm ſe in ea ſanctiſſimè geſſiſſet, poſteris etiã ſuis colendam tradidit. Quid ego de magnis Pipinij, & præclaris eius rebus multa dicã? Quid de Magno KAROLO, *qui virtute ſua imperatoriam dignitatem in Oriente ſeneſcentem in Galliam primus importauit, &, vt finitimæ nationes eadem deinde potirentur, rebus geſtis præclariſſimis perfecit? Quid de Ludouico dicam, quem propter morum ſanctitatem non hominum leuis quædam opinio, ſed ſanctiſſima Romanæ Eccleſiæ auctoritas certiſſimis teſtimoniis in diuorum ſocietatem nobis cooptatum eſſe cõfirmauit? Sunt autem eiuſmodi reges iuſtiſſimè bellando conſecuti, quod ſummæ illorum laudi tribuendum eſt, vt orbis terræ cõſen-*

ſu Christianiſsimi vocarentur. Multa de multis regibus dicenda eſſent, quæ breuitatis cauſa prætereo conſultò; verũtamen Frãciſcus, qui primus hoc nomine vocatus eſt, atq; Henricus KAROLI huius pater, de quo dicturi ſumus, præteriri nullo modo poſſunt. Etenim hi, ſi rectè ratiocinamur, duo verè belli fulmina fuerunt, cùm ſuæ ætatis nullis hominibus militari gloria conceſsiſſent. Quòd verò ad præſtantiſsimum matris genus pertinet, tenuit multis ab hinc annis Medicea domus in hac nobilisſima ciuitate principatum grauisſimorum, & nobilisſimorum hominum iudicio, & voluntate propter ſuam ſingularium virtutum præſtantiam. Sed noſtra monimenta diligenter conſcripta euoluantur, Coſmi ſummi viri, quem bonorum conſenſus patriæ parentem declarauit, memoria repetatur; quantum firmamenti, atq; roboris Laurentius, quãtum decoris, ac lucis Petrus huic noſtræ reipub. intulit? Sed quid ego de Maximis Pontificibus, qui magnis virtutibus ſacrum dignitatis gradum conſecuti, ſanctisſimis rebus geſtis nominis ſui gloria terrarũ orbem cõpleuerunt? De Laurentio verò Vrbini Duce sũmo viro, atque egregio, à quo KAROLI matrẽ ſcimus prodiiſſe, ſilere ſatius erit, quàm ieiunè, & nequaquam pro dignitate pauca hoc loco dicere: Tulit ille hanc reginam non minus virili quadam prudentia, atq; admirabili conſilio inſignẽ, quàm animi magnitudine, & pietate, vt omnem perſæpè Galliam iure optimo lætatam eſſe ſcimus. Hæc enim mulier cùm rebus valde ſecũdis numquã ſe nimis extuliſſet, firmitate iudicij, atque conſtantia, quæ admirabilis etiam magnis in viris eſſe ſolet, nullam in partẽ aduerſis caſibus animo, atque mente immutata eſt. Ab huiuſmodi neceſſariis, & cõſanguineis profectus KAROLVS Nonus illam vitæ, atque morum diſciplinã

primis

primis ætatis tẽporibus ſecutus eſt, quæ ad regium præcipuè nomen videbantur pertinere: Quamobrem cùm eſſet ad religionem ſua ſponte factus, curaq́; , & labore parentum inſtitutus, difficile mehercule dictu eſſet, quàm illam ſanctè, quàm caſtè, quàm grauiter coluerit, quàm nemini hoc in negotio honorificentiſſimo conceſſerit. Hanc populi ſui quò facilius tenerent, iuſtitiam, atque æquitatẽ, quibus ille ad ſuæ reipub. ſalutem vteretur, ex omnibus virtutibus complexus eſt potiſſimùm, & in eis exercendis, atque in omni negotio iuris dicendi ita ſeſe geſſit, vt tãtam regij muneris dignitatem non populari aura, ſed diuino quodam beneficio meruiſſe videretur. Res duæ omnibus ſeculis admirabiles, atque arduæ fuerunt; regendi exercitus imperium, & rerum publicarũ gubernatio; quarum altera ſemper ſibi conſtans, firmitate quadam iudicij ſe vnam tantummodo intuetur; ſpes habet in ſe poſitas, multiſq; ſemper difficultatibus implicita numquam fortuitu, neq; caſu, niſi leuiſſime, ſubleuatur: Alterum quamquam ſe ipſum conſilio, & ratione tueatur, multis ſæpenumero in rebus cum fortuna, & cum temeritate nonnumquam commiſcetur. Quàm paucos, ac penè nullos cognouimus fuiſſe, qui vtrumq; pro negotij magnitudine ſuſtinuerit, qui rebus duabus difficillimis reſponderit, qui hominum expectationi, quæ multiplex, ac moroſa eſſe ſolet, ſatisfecerit, vt fortiſſimum hunc iuuenẽ magnificè, & magna ſua gloria videmus præſtitiſſe? Conſtat enim inter omnes cùm multi ſeſe peruerſiſſimis cõſiliis adducti proditionis ſcelere inquinauerint, meliores tamen populos propter ſingularẽ rerum publicarum adminiſtrationem KAROLI *Noni in fide permanſiſſe, atque eas ciuitates, quæ ceteris ſuper conſilio, & ratione præſtiterunt, eius ductum, atque imperium*

rium ſecutas, pecunias, & cõmeatum, atq; huiuſmodi præſidia optimo animo ſuff icioſiſsimo etiam belli tempore ſuppeditaſſe. Bellicæ verò laudes haud Galliæ finibus contentæ, nõ ſolùm iam Italiæ regiones, in quibus, vt videtis, cunctorum hominum ſermone celebrantur, verum etiam omnes terras admirabili quodam modo peragrarunt. Cùm igitur ætatis ſuæ vix duodecimum annum attigiſſet, ſuo Marte in eo ipſo tempore, quod conſiliis explicandis parùm opportunum eſſe ſolet, tantùm ad virtutem exprimendam facultatis nactus eſt, vt hominum expectationi, quæ maxima de tanta dignitate eſſe ſolet, vel reſpõderit, vel admirabili quodam iudicio ſuperauerit. Qua quidem in re quàm ſe ille fortiter, quàm grauiter, quàm magnificè, quàm regiè geſſit, quàm nulli vmquam periculo ſuccubuit, quàm etiam illa inuicto animo ſuſtinuit, quæ ſummos viros grauiſſimis in rebus exercitatos oppreſſiſſent? Magnum fert ſecum opinionis pondus regia maieſtas, magnã quandam, & ſingularem omnium populorum admirationem: quæ vtilitas, quod bonũ reperitur, quod tãtum munus non continere videatur? quæ res tam ardua, tã inuſitata, tamq; admirabilis, atq; incredibilis excogitari poteſt, quam huic dignitati virorum prudentiſſimorũ conſenſus tribuere nõ ſoleat? Ceteri homines ſuum poſteaquam diem obierunt præclaris rebus geſtis, regia verò dignitas dum viuit, dum hac luce fruitur ad ſingularem quãdam opinionem, & penè ad immortalitatem conſecratur. Delectat regis ſpecies, noſtroſq;, dum intuemur, oculos, et mentis aciẽ perſtringit; ſed tamen ſi omnis ille ſplendor vera cũ virtute copulatus eſt, multò profectò magis, quàm hæc hominũ vis, & conditio patitur, ſeſe erigit, rerumq; ad diuinarum naturam proximè accedit. Quamobrem niſi mihi eſſet perſua-

ſum,

ſum, vos omnia, quæ ſum dicturus cognita habere, peterem à vobis honeſtiſſimi viri, vt veſtra mens, atque animus ſingularis huius regis laudes diligentius attenderet, ne opinione aliqua adductū me, quæ maxima ſunt, augere velle iudicaret. Repetetis memoria mecum, quæ audiſtis, quæ certiſſimis nūtiis, atq; literis didiciſtis, quibuſq; etiā in rebus fortaſſe inter fuiſtis, vt, quemadmodum eſt æquum, huic valde pio muneri dolorem, atque luctū tribuamus. Poſteaquam cœperunt nefarij quidā homines rebus nouis ſtudere, & felicitatem imperij Gallici odiſſe, vt ad extremum vſque ſcelus, & flagitium deuenirent, anteaquam ſuū regem iuſtiſſimū deſererent, atq; oppugnarent, à cæleſtibus inſtitutis defecerunt. Magnam ſibi Gallici regni inuadendi occaſionē propoſitam videbant, nō propter magnas facultates tantū, quas ſe breui tempore adepturos confidebant, verùm etiam, quod neminem, qui ſuo furori repugnaret, ſe vllo loco inuenturos cōfidebant. Adiuuabat conſilij peruerſitatem regis ætas præcipuè iniuriæ opportuna; quem ſi minimè interficere potuiſſent, facilè illis factu eſſe videbatur tamen, vt ſuis artificiis omnem eius conatum vel eluderent, vel belli viribus opprimerēt. Cæca enim cupiditate incitati, quò grauiores ſceleris ſui pœnas darent, multò magis quid eſsēt flagitiosè auſuri, quàm quid rex iuuenis, & fortisſimus poſſet, cogitabant. Magno itaque ſtudio collecto ex perditisſimis hominibus exercitu, comitante furore arma capiunt, & quoniā primò parùm inſidiæ proceſſerant, in bellum ſumma cura, atque incredibili pænè vigilantia palàm incumbunt. Quæ poſteaquam fieri KAROLVS *animaduertit, ne ſanctisſimæ cauſæ deeſſet, minimè ille ſeſe deſerit, ſed cōſilio grauiore, quàm quiſquam aſſequi cogitatione potuiſſet, arma capit, & quoniā hominum ſtatioſorum mentes ſanare*

ratione nō potuerat, vim vi repellere aggreditur. Neque matrem ſummi animi mulierem bellorum pericula terruerunt, quin ipſa quoque cum filio rege grauioribus in periculis intereſſet. Quamobrem omnibus rebus, quæ ad oppugnationē pertinerent, comparatis, multas vrbes magnis vndiq; cinctas præſidiis fortisſimus hic iuuenis expugnauit, quæ cùm portas claudere, & vim militum regiorū auſæ eſſent experiri, ſuis tandem calamitatibus fractæ, & eū, quam excluſerant, recipere, & eandem ad religionem redire coactæ ſunt, à qua ſe paulò ante iniquisſimè auerterant. Dies omnino me deficeret, ſi omnia huius regis conſilia ſapientisſima vellem enarrare, atq; omnes terras eiuſdem victoriis luſtratas oratione percēſere; ſubiicite vobis viri honeſtisſimi, atque apud veſtrum animum proponite, qui plurimum ratione, atque ingenio valetis, quanta ille ſe fortitudine, quanta prudentia à pernicioſis hoſtibus defenderit, quàm magna exitia in ſuum regnum cōparata longè propulſarit: Habuit ille exiguū ætatis, & temporis curſum, vt videtis, ſed tamen magnificis eundem rebus geſtis in poſterum ſingulari nominis ſui gloria dilatauit: eſt enim auctoritatis tantū multis ſecundis præliis adeptus, vt non rex ſolum prudentiſſimus, verum etiā maximus bellator habeatur. Fuerunt aliis deliciæ, & ſuæ voluptates cordi, huic autē gloria, atq; honeſtas; ſibi ipſis alÿ, hic nulla ſuæ vtilitatis ratione habita ſpectauit id ſolum, vt ſuis populis conſuleret. Ecquādo ſibi hoſtes diffidere cœpiſſent, niſi hic magno animi robore firmatus conatus eorum omnes pro nihilo putaſſet? Deſinite mirari optimi viri nullam vim ad eius virtutem infringendam fortunam habuiſſe, cùm multò ante iuuenis hic præſtantiſſimus & natura belli depoſcente, & ſua etiā ſponte aditus ei omnes præcluſiſſet. Minimè ille quoties ſeſe aliorū

conſiliis regendum tradidiſſet, imminuere regiam maieſtatẽ iudicauit, cũ hoc ſalutari negotio ſuæ reipub. emolumentum repræſentari poſſe videretur. Summos idipſum imperatores, & maximos reges ſecutos eſſe ſcimus, vt grauiſsimis in deliberationibus peritiſsimos rei militaris duces adhiberent, ne ſibi pro ſuo ingenio tribuerent omnia, quæ perſæpe vnam tantummodo mentem prætereunt, & fugiunt. Hoc præcipuè nomine magnas laudes Philippus Magni Alexandri pater adeptus eſt; qui cùm per ſe prudentiſsimus eſſet, nequaquam tamen vitio ſibi datum iri arbitratus eſt, ſi magnos rebus in gerendis homines audiret, eorumq́ ſententias in regno adminiſtrando ſequeretur. Quid ego præterea de modeſtia in ſuos, de humanitate in amicos multa dicam? quid de comitate in hoſpites, de liberalitate in homines egregios, de iuſtitia in omnes? Sunt hæ minimè quidem virtutes contemnendæ, ſed tamen ceteris cum hominibus cõmunes: Verè ſunt illæ regiæ, atq; huius fortiſsimi iuuenis propriæ: nullis periculis animũ ſubmittere, nullo vel maximo emolumento in fraudem commoueri; præſtare ſe omni tempore ab incommodis inuictum, nihil, niſi altum, cogitare, nihil, niſi magnificum, moliri, hæ ſunt, inquam, ſine dubio regiæ virtutes; de quibus nullæ erunt inquam litteræ tam ingratæ, quæ conticeſcant, nullæ hominum tam peruerſæ voluntates, quæ ſummis laudibus ipſas nõ proſequantur. Putatis'ne tot viros fortes longo vſu rerum exercitatos, totam propemodum Galliæ nobilitatem, innumerabiles homines longinquis ſedibus excitos adumbrati regis imaginem tantummodo, & non verè regem, aut regis potius exemplar præclariſsimum ſecutos? Cùm ſuas fortunas, atq; opes æquo animo reliquerint, cùm ſalutem, & vitæ commoda neglexerint, vt KAROLO Nono ad extremum vſque

ſpiritum, quacunq; re poſſent, ſumma voluntate inſeruirent. Fuerũt in hoc iuuene omnes ſine dubitatione regiæ virtutes, omnia illa animi bona, quæ dum homines inſpicerent, dum ad mirarentur, adduci nullo pacto potuerunt, vt eum magnis in difficultatibus, & ſummis in periculis deſererent, qui admirabili quodam modo præcipuos in eis amores excitabat. Longè alia conditione maiores eius dimicarunt; aliud illis bellandi conſilium propoſitum fuit; hic enim, vt vitam, vt ſalutem, illi vt imperium, vt opes augerent, laborarunt; hic vt ſe, & & omnes bonos inſidiis petitos tueretur, illi, vt regni terminos proferrent, ſtuduerunt: longè illi à ſuis finibus vi nulla impellente, hic vt ſuum regnum ſuorum ſcelere penè oppreſſum ſubleuaret, nitebatur: extra illi vt hoſtem quærerẽt ſua ſponte, hic verò, vt intus aduerſariis neceſſariò reſiſteret, magno artificio cogitabat. Quòd niſi eum fortuna tam atrociter exercuiſſet, tamq; etiam exitiorum crebras faces excitaſſet, cui, viri, optimi, dubium eſſe poteſt, cùm domi tam fortiter feciſſet, tamq; etiam bellorũ magnas difficultates ſuperaſſet, quin foris non ſine regni acceſſione haud minori cum laude dimicaſſet? Quamobrem quantò maius eſt omnibus periculis, quæ prouideri nullo modo poſſunt, animi præſentia reſtitiſſe, ſuoſq; etiam, quibus magnam fidem habebat, exitia molientes oppreſſiſſe, quàm ſe patentibus in campis multis in bellis exercere, tantò ille maiores ſuos, qui hoc modo ceteros ſuæ ætatis imperatores deuicerunt, conſilio, & ſingulari fortitudine ſuperauit. Facilè à corpore, vt ſcitis, ſimulatq; ſeſe produnt, graues morbi depelluntur; qui verò penitus in venis, atque in viſceribus incluſi hærent, vix magno labore, & ſumma induſtria curantur. Magna perſæpè pernicie erumpunt, multoq; ante, quæ vicina ſunt, contaminata eſſe vides, quàm

ſubue-

ſubuenire remediis potuerit. Quæ regium animum decerent, ſummo ſtudio collegit; verſare ingenium ad honeſtiſſima conſilia conſueuerat, quæ fortitudinem, quæ conſtantiam requirerent, appoſitè ille, & egregiè didicerat; ſed quanta fide, quantaq; eos animi magnitudine tractarit, qui ſe illi neceſſitate victi crediderunt, propterea quia nunc nouum id eſt, & pæne inuſitatum, attendite pauliſper viri honeſtiſſimi, intelligetis enim hūc regem fortiſſimum, neque ſecundis, neque aduerſis rebus fuiſſe vmquam vllam in partem immutatum. Eaſdem ipſe pacis conditiones deditis, & victis tulit, quas dum omnia paria eſſent, principiò propoſuerat. Feciſſe idem Lucium Scipionē deuicto Antiocho regē nobiliſſimi ſcriptores memoriæ prodiderūt, magniſq; eū laudibus hac de cauſa proſecuti ſunt. Habuit enim hic rex in primis iuſtitiæ, atq; clementiæ præcipuo quodam modo rationem, neque quid regni ſui vtilitates, ſed quid illæ virtutes poſtularent, cogitauit. Conſilio, & lenitate ſuos aduerſarios, poſteaquam eorum conatus multis prælijs oppreſſerat, reducere ad ſanitatem nitebatur; verumtamen cùm illos nihil de ſuo furore remittere, ſed bonorum perniciem anhelantes omnia furenter agere deprehendit, ſtatuit ei malo, quod in dies augeri, & ſerpere vehementius incæperat, quàm maturrimè occurrere. Ne qua igitur iactura cunctando humanitatis, & ſuæ dignitatis fieret, eos omnes de repente, qui contra pietatem agitare noua conſilia incæperant, tanta diligentia, tantoq; conſilio oppreſſit, vt nihil vmquam vtilius, nihil vllo tempore ſapientius, nihil etiam Gallicæ reipublicæ ſalutarius actum fuiſſe boni omnes affirmarēt; Fracta eſt enim hoc negotio rabies, quæ noſtras fortunas direptioni, vitam cædibus pudicitiam libidini deſtinauerat: conciſa eſt immani-

manitas, quæ vaſtare agros, polluere ſanctitatem, complere omnia luctu, atq; cruore conſtituerat. Nos autem fortiſsimi, atq; integerrimi regis prouidentia ſumus aſſecuti, ne quid in poſterũ mali ex hac peſte timeremus. O' admirabile conſiliũ; ò animum verè regium; ò prudentiam ſingularẽ, atque omnibus ſeculis efferendã. Multos, quod eſſet in præſentia, ſapienter videmus præſtitiſſe: qui verò, vt aiunt, in longitudinẽ proſpicerent, quorum conſilia in poſterum etiã ſalutem populis, atq; vtilitates importarent, perpaucos nouimus fuiſſe. Fuit illi præterea ſemper cordi parens ſuauiſſima, quam coluit, vt erat æquum, omni tempore, atque obſeruauit: ſed cùm eum vitæ vires iam deficerent, mirabiliter omnino declarauit. Pietate enim optimæ, & præſtantiſsimæ mulieris honorificentiſsimè laudata, tanto illam amore Summo Conſilio commendauit, vt ex hac vita, cùm id feciſſet, animo æquiore diſceſſurus videretur. Quid ego de cura, & de incredibili quodã ſtudio dicam, quo ille rationem tranquillitatis, atque otÿ totius Galliæ ſummã habuit? Torquebat eum multò magis ſuorum populorum procuratio, quàm corporis dolores; multoq; etiam magis, ne qua probitatis, iuſtitiæ, pietatis fieret iactura, quàm rerum ſuarum cariſsimarum deſiderio mouebatur. Neque verò, cùm ceteris omnibus conſuleret, ſuã ipſe ſalutem extremo vitæ tempore neglexit; morientibus enim vocibus certi homines Euangelica præcepta viderunt recolentem, ſuosq; omnes, vt ſanctè, vt religiosè viuerent, multis verbis non ſine pietate admonentem; & cùm ſibi vitæ finem præterea adeſſe intelligeret, quippe qui numquã magna ſua gloria grauiſsimis periculis bellorum ſuccubuerat, mortis dolores ſãctiſsimè, & animi ſumma æquitate ſuperauit. Eo igitur Rege Dux Magne priuati ſumus, eo, inquam rege priuati ſumus (magno cũ

animi

*animi dolore loquor) cui homines fortes, cui virtute prædisi tantopere fuerunt cordi, quibus ille omnes clariores artes fouit, atq; aluit. Is morte demum nos deſeruit, cuius virtutem pauloante aduerſarij, miſericordiam victi, iuſtitiam ſui, multæ nationes fidem, atque liberalitatem ſunt expertæ. Valde eſt hoc vulnus luctuoſum Galliæ non ſolum, quæ illum aluit, verum etiam vniuerſæ reipub. Chriſtianæ, quæ tantam virtutem coluit, ac probauit. Fit enim ſemper, vt ſummorum virorum mors non ſine miſericordia poſſit eſſe, atque detrimento; medio autem in curſu vitæ mori, atque in ætatis flore miſerum eſt, neceſſario tempore periculoſum, verumtamen ſingularis quædam expectatio, quam illius præclaræ res geſtæ excitarant, omnes omnium dolores videtur ſuperare. Iure igitur Gallia mœret, Italia, & omnes regiones, quibus præſtantiſſimi iuuenis virtus nota fuit, affliĉtantur; tantam probitatem tam ſubitò ereptam Chriſtiana reſpub. deſiderat, tuq; in primis optimè Princeps, cùm communi detrimento, tum etiã neceſſitudine, quæ tecum illi intercedebat, & mutuo amore commoueris. Sed quoniam neceſſe eſt, vt miſeriis, quæ omnibus vbique ſolent euenire, conſulamus, eoq; etiam magis faciẽdum eſt, quò minus nobis recuperandi ſpes proponitur, dolorem noſtrum, ſi placet, rerum præclariſſimarum magnanimi regis memoria conſolemur. Mors enim nequàquam malum iudicanda eſt, quã gloria, & præclara facta conſequuntur, quamq; etiã boni nullo modo fugiendam, ſed magno animo expetendam conſuerunt. Extulit enim ſecum K*AROLVS *pietatis præcipua quædam bona, atq; humanitatis delicias, vt ita dicam; qui cùm omnia Eccleſiæ ſacramenta, quæ ſupremo illi muneri conſentanea ſunt, ſuſcepiſſet, cùm ſuos populos magna beneuolentia ad extremum ſpiritum fuiſſet pro*

ſecu-

ſecutus, & quid vnuſquiſque etiam facere deberet, imperaſſet, omni vitiorum ſuſpicione animo expiato, ad cæleſtes ſedes fortiſsimo animo, & valde læto euolauit. Dolorem verò, quem cepimus, nouus rex Henricus leuare debet, cuius ſemper virtus eiuſmodi fuit, vt populi longinqui, atque alienigenæ animi magnitudinem admirati, vnum ſibi tam multis è populis, atque nationibus regem Poloniæ delegerint. Quamobrem non ſine cauſa de præſtantiſsimi illius animi virtutibus dici poteſt, quod de Alexandro Magno memoriæ proditum eſt, eas fuiſſe oras quodammodo ſine ſole, quas eius oculus non viderit, miſeras eas nationes, quò ſuis victoriis, & trophæis non peruenerit. Quibus nobiliſsimi, & fortiſsimi iuuenis virtutibus ſeſe erigunt infirmi, lætantur potentes, ſpe magnorum bonorum optimi viri ſe confirmant. Et iam impiam, ac peruerſam hæreſim (ſi quid tanti ſceleris adhuc reſtat) cùm eius animo fortiſsimo, & Gallorum robore, tum Heluetiorum fortitudine, & virtute Italorum hominum videre iam videor ſibi ipſi diffidentem ſalutem turpi fuga comparare, nullo certo ordine, terroris plenam, ſuoq; ipſam ſanguine cruentam ſuis in malis hærentem exitia ſua deplorare; Cui negotio tam neceſſario, tamq; etiam ſummo regi glorioſo omnes terræ, omnes populi, omnes nationes, & diuina denique præſidia nullo tempore videntur defutura, ſed ſuas omnes opes magno animo, & ſingulari liberalitate polliceri.

Dixi.